

ut præter vallum nihil castrum ibi viderim. Alia etiam seditionis fax, Henrico Septimo regnante, hic exarsit; cum enim vulgus indomitum leve tributum gravissime ferrent, quod à regni ordinibus imperatum, & Rationales, sive Collectores abegissent, protinus, ut foelix temeritas nunquam invenit modum, in Henricum Percium Northumbriæ Comitem qui provinciæ præfuit, hoc in loco irruunt, interficiunt, & Ioanne Egremond Duce, arma in patriam, & principem arripiunt; verum paucos post dies pœnas Reipublicæ graves, & iustas persolverunt. Hic in proximo sunt *Sourby*, & *Brakenbak*, vetustæ sane & præclaræ familiæ de *Lascelles*, & magis ad Austrum *Sezay*, quondam *Darellorum*, postea *Dawniorum*, quæ equestri dignitate diu floruerunt.

Comes Northumbriæ à seditionis interfectus.

Lascelles.

Eboracensis Comes & Duxes. Anno 1. Rich. 1. Hovedenus.

Duces Brunsvici.

Eboracensis provinciæ (post Guilielmum *Mallet*, & *Estotevillum* unum & alterum è stirpe Normannica, quos hæreditarios Vicecomites fuisse volunt) primus & unicus Comes erat Otho filius Henrici *Leonis* Ducis Baviaræ & Saxoniarum è *Matilde* filia Henrici Secundi regis Angliæ, qui postea Imperator Augustus salutatus & Otho Quartus appellatus. A cujus fratre Guilielmo altero *Matildis* filio oriundi sunt Duces Brunsvicenses & Lunæburgenses in Germania, qui in hujus cum Angliæ regibus cognationis argumentum, iisdem insignibus, quibus primi reges Angliæ è sanguine Normannico, duobus scilicet leopardis sive leonibus aureis in clypeo rubro utuntur. Longo post tempore *Edmundum* de *Langley* Regis Edwardi Tertii filium, quintum Eboraci Ducem instituit *Richardus Secundus*, cui ex altera filia Petri Regis Castiliæ, & Legionis nati sunt duo filii. *Edwardus* primogenitus patre superstite fuit primum Comes Cantabrigiæ, postea Dux *Albamarlæ*, & demum Dux Eboracensis, qui fortiter in prælio ad *Agincourt* in Gallis, nulla suscepta prole vitam profudit. *Richardus Secundogenitus* Comes erat Cantabrigiæ, qui ducta in uxorem *Anna* sorore *Edmundi* de *Mortuomari* Comitis *Marchiæ*, cui avia itidem erat filia unica & hæres *Leonelli* Ducis *Clarentiæ*, *Edmundum* uxoris fratrem ad regiam dignitatē evehere molitus, statim interceptus capite luit, quasi à Gallis corruptus *Henrici Quinti* vitæ insidiatus fuisset. *Richardus* ejus filius decimo sexto post anno summa sed improvida *Henrici Sexti* benignitate in integrum restitutus fuit, ut filius *Richardi fratris Edwardi Ducis Eboracensis*, & consanguineus *Edmundi Comitis Marchiæ*. Iamque Dux Eboraci, Comes *Marchiæ*, & *Ultoniæ*, Dominus de *Vigmore*, *Clare*, *Trim*, & *Conaght*, tantos spiritus assumpsit, ut regnum, quod clandestino malis artibus, de Republica male administrata quiritando, seditiosos rumores & libellos famosos disseminando, fœdera occulta ineundo, tumultus imo & bella excitando, aliquandiu affectaverat; tandem contra *Henricum Sextum* in Ordinum conventu publice suo jure postularet; utique qui filius *Annæ Mortuomariæ* sororis & hæredis *Edmundi Comitis Marchiæ*, cui genus recta linea à *Philippa* filia & unica hærede *Leonelli Ducis Clarentiæ* filii

Parlam. 10. H. 6.

Ex Rotulis Parlamenti 39. H. 6.

tertii Regis Edwardi Tertii; & igitur liberis *Ioannis Gandavenis*, qui quartus erat Edwardi Tertii filius jure optimo in regni successione præferendus. Cui cum responsum esset, regni proceres, ipsumque Ducem in regis fidem jurasse, regnum Parlamentaria autoritate *Henrico Quarto* & ejus hæredibus delatum & confirmatum fuisse, Ducem autem ipsum, qui jus à Duce *Clarentiæ* vendicat, *Digna* sive *Arma* Ducis *Clarentiæ* nunquam sibi assumpsisse, & *Henricum Quartum* regnum jure ab *Henrico Tertio* repetito occupasse. Hæc ille facile elusit. Iusjurandum scilicet illud Regi ex jure humano factum neutiquam præstandum, cum contra veritatem & justitiam fuerit, quæ sunt ex jure divino, haud opus fuisse autoritate Parlamentaria ad regnum *Lancastrensibus* deferendum, neque ipsos hoc voluisse, si quo jure niterentur; ab *Armis* Ducis *Clarentiæ*, quæ sibi jure competere, perinde ac à regno vendicando consulto eo usque abstinuisse: jus autem illud ab *Henrico III* repetitum commentum esse ridiculum ad injuriam velandam, & nulli non explosum. Hæc licet pro Eboracensi Duce exploratissimi erant juris, prudenti tamen consilio ad imminentium periculorum remedium ita temperata res est, ut *Henricus Sextus* ad vitam regno uteretur frueretur, *Richardus Dux Eboracensis* regni hæres & successor designaretur, interposita cautione, ut neuter in alterius perniciem quicquam moliretur. Sed eo usque ambitio Ducem statim præcipitem egit, ut dum spes suas anteire pararet, exitiabile illud bellum inter *Lancastrensem* & *Eboracensem* familiam *Albæ* & *rubræ rosæ* symbolis distinctum concitavit. Quo ipse mox ad *Wakefeldiam* occubuit; *Henricus Sextus* quater captus, tandem regno & vita spoliatus fuit: *Edwardus Comes Marchiæ* *Richardi* filius regnum obtinuit, eodemque deturbatus, denuo recuperavit (sic fortuna inconstans & ludibunda atollendo & premendo sibi ludos facit) regii sanguinis Principes plurimi, & proceres splendidissimi è medio sublatis, hæreditariæ illæ & opulentæ Regum Angliæ in Gallia provinciæ amissæ, *Hibernia* neglecta & efferata, opes regni omnino accisæ, & misellus populus nullo non calamitatum genere obrutus. *Edwardus* autem solio confirmatus & ejus nominis in Regum serie *Quartus* *Richardo* filio secundo Ducatus Eboracensis titulum contulit, qui cum Rege fratre à *Richardo* tyranno patruo tenella ætate fuit extinctus. Dein *Henricus Septimus* filio suo juniore, qui postea *Henrici Octavi* nomine in Angliæ Regem inauguratus, eundem concessit. Et nuperrime 1604. Rex *Jacobus Carolus* filium secundo-genitum, quem antea in Scotia Ducem *Albanie*, *Marchionem Ormondie*, Comitem *Rossie*, & Baronem de *Ardmanoch*, creaverat, Ducem Eboracensem, ut ad formulam loquar, per gladii cincturam, cappæ & circuli aurei impositionem in capite, & traditionem virgæ aureæ investivit, cum ipsum & undecim ex splendidissimis familiis pridie in Equestrem, quam *Balnei* vocant, dignitatem rite cooptasset.

Bellum inter Lancastrenses & Eboracenses sive Rosam Rubram & Albam.

Numerantur in hoc Comitatu paræciæ 459, quibus subsunt plurima capella etiam magnis paræciis incolarum multitudine adæquandæ.